



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conferentiæ Theologico Morales

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione
Excerptæ

Sargar, Elisaeus

Augustæ Vindelicorum, 1720

An Reus condemnatus ad mortem possit fugere. n. 516.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41194

CONFERENTIA. LXXXI.

516. **R**eus condemnatus est secundum allegata & probata : an teneatur obtemperare sententiae, an vero possit fugere vincula & carceres perfringere ; &c.

R. *Primo* : Quando Reus est iuste condemnatus, non potest se per vim defendere contra iudicem aut ministros. Ita *D. Thom. Less. & Comm.* Pater ex illo *D. Pauli ad Rom. 16. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & ipse se sibi condemnationem acquirit. Quod vel maxime tunc valet, quando quis iuste condemnatus resistit potestati Iudicis.*

517. *Resp. Secundo* : Reus carceri mancipatus potest ante & post sententiam latam licite fugere, si sententia fuerit mortis vel mutilationis. Ita *cum G. Thom. Cavar. Less. &c.*

Ratio est : quia Reus non conijcitur in carcerem, ut sponte ibi maneat, sed ut ibi detineatur, dum eius causa agitur, ergo si non teneatur, potest fugam capessere.

518. *Resp. Tertio* : Reus condemnatus ad mortem potest licite vincula & carceres effringere ad evadendum. *Est Comm. DD.*

Ratio est : quia cui licitus est finis, eadem etiam licita sunt media necessaria ad illum ; ergo cui licita est fuga, licitum est etiam ad illam se expeditum reddere, eiusque impedimenta removere.